



**Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D.  
Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Articulus IV. An sit possibilis electio opinionis probabilis in concurso æquè  
probabilis, vel probabilioris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)

14. Inferes tertio. Quemcumque probabilitatis gradum nequaquam sufficit, ut exinde recta conscientia & honesta operatio deriveretur; nam tenuissimus probabilitatis gradus reperitur intra opinionem etiam tantum probabiliter probabilem: sed ista non sufficit ad rectam conscientiam, juxta prædicta; ergo nec ille. Opposita sententia damnata merito, & rejecta est à Summo Pontifice D. N. Innocentio XI. in nuperissimo decreto edito anno 1679, n. 3.

15. Ad rationes in contrarium, & ad 1. Respondeo negando minorem, probationem distinguo: qui habet formidinem practicam & ex parte iudicii proximi, non habet conscientiam certam, concedo; qui habet formidinem tantum speculativam, & ex parte iudicii remoti, nego: Sed operans ex opinione probabili habet formidinem speculativam, concedo; practicam, nego minorem & consequentiam.

16. Ad secundum Respondeo. Ut ex opinione probabili formetur recta conscientia, esse necessarium, ut ad iudicium opinativum de objecto accedat nova ratio, quæ certè persuadeat, operationem esse licitam, quod fit tum reflexione supra iudicium opinativum modo explicato, tum etiam supra communem praxin, auctoritatem & possessionem libertatis. Et ad illum discursum: *opus non servile &c.* dico illum esse virtualiter reflexum supra probabilitatem opinionis, propter *probabiliter* positum in minori, & facere hunc sententiam: *Opus, quod mihi prudenter apparet non servile, possum licite die festo exercere: sed pingere prudenter mihi apparet opus non servile: ergo possum illud hoc die festo licite exercere.* Ubi ex ultra-

que præmissa certa & evidenti sequitur similis conclusio. Sicut si in simili dicas: *Hunc penitentem prudenter absolvo, qui mihi prudenter apparet contritus, etsi forte non sit talis: sed iste mihi prudenter apparet contritus: ergo.* Hinc patet responso ad Confirm. nam conclusio non habet majorem certitudinem, quàm præmissa proxima, concedo; remota, nego.

Ad tertium Respondeo. Probabilitas non potest esse regula humanæ operationis formalis, proxima, & antequam sit regulata per prudentiam, concedo; occasionalis, remota, vel quatenus regulata per prudentiam, nego.

Ad quartum respondeo. Si Cajus erret in se-18. quando opinionem probabilem, non peccare ex ignorantia vincibili, qui non adhibuit omnem diligentiam, quam potuit & debuit adhibere ad cavendum errorem: sed Cajus adhibuit omnem diligentiam, quam potuit adhibere, quia certitudinem in objecto merè probabili reperire non potuit; etiam quam debuit, quia ad plus non tenetur, quàm ne temerè & imprudenter assentiat objecto. Ad probationem Respondeo: Ille vincibiliter errat, qui tenetur cavere errorem, adhibendo diligentiam debitam in veritate investiganda, eumque prævidet, tanquam ex omissione debitæ diligentiae eventurum, concedo; alias quomodocunque eventurum, nego. Sed habens conscientiam probabilem ratione formidinis aliquantulum prævidet errorem, ut quomodocunque possibilem evenire, concedo; ut ex omissione debitæ diligentiae eventurum, nego minorem & consequentiam.

## ARTICULUS IV.

*An sit possibilis electio opinionis probabilis in concursu æquè probabilis, vel probabilioris?*

## SUMMARIUM.

1. Status questionis.
2. Fundamenta Mercori negantis hanc possibilitatem.
3. Impugnatur hoc singularis sententia.
4. Rationes pro possibilitate eligendi probabilioris.
5. Salvuntur rationes Mercori.
6. Fundamenta sententia negantis possibilem assensum opinionis æquè probabilis.
7. Impugnatur hac sententia.
8. Et probatur opposita.
9. Respondetur ad rationes sententia contraria.
10. Rationes sententia negantis posse intellectum assentiri opinioni minus probabilis.
11. Impugnatur hac sententia & opposita statuitur.
12. Respondetur ad opposita fundamenta.

## §. I.

*Statuitur possibilitas eligendi probabilioris in concursu minus probabilis.*

1. Convenit inter omnes, posse quempiam eligere opinionem magis tutam, sive ventem præcepto, sive illa sit magis, æquè vel minus probabilis, quàm opposita: tunc enim ex indubia honestate

objecti movetur ad operandum, & formandum rectæ conscientia iudicium. Nec minus convenit, licitum esse sequi probabilem opinionem, cui in intellectu opinantis contradictoria nulla opponitur. Quæritur ergo, an, cum duæ opiniones contradictoriè oppositæ, quarum una tutior, & favens præcepto [asserens actum illicitum] altera favens libertati [v. g. asserens actum licitum, nullam esse obligationem &c.] eidem intellectui obijciuntur, suntque ex gravibus motivis probabiles, possit intellectus minus tutæ, sive magis, sive æqualiter, sive minus probabilis assensum præbere: & eò quidem sententia rigidæ argumenta provehantur, ut non tantum contendant, intellectum hoc licite & prudenter non posse, sed ne quidem defectu sufficientis libertatis physicè posse, ita nimirum ut intellectus utriusque partis motivis seu vinculis impeditus in neutram partem resolvat. Hanc partem præsentis, priorum sequentibus §§. disquirimus. Unde

Quæritur primò. An possit intellectus assentiri opinioni probabiliori in concursu, & sensu composito opinionis minus, sed verè probabilis?

Et contra communem aliorum opinionem & experientiam Respondet Jul. Mercorus p. 2. art. 7. negativè

negative. Et argumentatur primò: Intellectus de utraque parte contradictionis dubius, de neutra potest opinari: sed intellectus, cui una pars apparet magis, altera minus probabilis, est dubius: ergo de neutra potest opinari. Major constat; quia in hoc differt opinio à dubio, quod istud suspendit; illa absolutum, quamvis formidolosum præbet assensum. Minor probatur: motivum grave & urgens causat dubium formale: sed opinio verè probabilis, tamen habet motivum urgens & grave: ergo causat dubium, & retrahit intellectum ab assensu propositionis probabilioris.

Secundò. Nemo opinatur, qui non solvit argumenta contraria, quemadmodum fert omnium Scholasticorum consuetudo & methodus: sed cum simul opinioni probabiliori alia probabilis in intellectu opponitur, istius argumenta non sunt soluta; si enim forent soluta, jam non esset probabilis: ergo non potest intellectus de probabiliori opinari.

Tertiò. Si quis in bivio constitutus ignoraret viam, quæ ducit ad præta, vel ad nemus, in quo sunt leones, & interrogaret obvium, virum matrum & foeminam, & vir diceret, tene dexteram; foemina, tene sinistram; licet testimonium viri ratione sexus esset probabilius, talis tamen viator ratione periculi imprudenter istud sequeretur: ergo similiter dic de intellectu constituto inter sententiam minus probabilem, & probabiliozem, quarum alterutra certò ducit ad falsitatem.

Contra hanc tamen singularem sententiam est primò. Quòd cum ipsam traderet Author illius, sanè non secutus est magis, sed minus probabilem; quippe contra torrentem aliorum Authorum tam pro benigna, quam rigida sententia scribentium: neque solvit graves rationes ipsorum; & tamen solvere sibi visus fuisset, non ideo potuisset de tali solutione certificari, ut non illæ servarent efficaciam suam, & virtutem inclinativam in assensum; neque enim ipsius vel auctoritas, vel rationes sunt tanti momenti, ut non maximo excessu superentur ab opposita sententia motivis & auctoritate. Contra est secundò omnium inter duas contradictionis partes probabiles consultantium, & de alterutra determinantium experientia: quibus frequentissimum est, allatis utrinque rationibus ita adhærere probabiliori, ut tamen fateantur oppositam esse probabilem. Ita reperies in Thomistis scribentibus contra Scotistas, & e contra. Imò nec S. Thomas aliter sententias probabiles tractavit & tradidit: Longissimè enim abest ab ipsius modestia, ut sententias oppositas, tamen minus probabiles, semper voverit, aut aliquando potuerit improbabilitatis damnare.

4. Dicendum igitur est: posse, imò actu assentiri intellectum opinioni probabiliori in sensu composito alterius minus probabilis. Ratio à priori est primò: Certissimum est, intellectum posse opinari, & sapissimè opinari de parte magis probabilis; sed quoties de illa opinatur, toties eidem assentitur in sensu composito alterius etiam probabilis: ergo. Minor probatur. Opinari est assentiri cum formidine oppositi: sed qui

assentitur cum formidine oppositi, agnoscit alterius partis oppositæ motiva esse probabilis; si enim illa non appareant probabilis, sed improbabilia opinanti, jam intellectus alterius sententiæ motivis & evidentia convictus, certum, non opinativum præstaret assensum: ergo qui opinatur de sententia magis probabilis, illi assentitur in sensu composito alterius etiam probabilis, non tantum pro alterius, ut vult Mercorius, sed etiam pro suomet intellectu. Sic Thomista, tenens materiam primam non posse divinitus existere sine omni forma, adhæret huic sententiæ tanquam probabiliori; etiam relatè ad argumenta contradicentium, quæ etiam in sensu composito suarum rationum judicata esse probabilis, quòd intellectus illa argumenta tantum probabiliter solvat, nec maneat illis rationibus & solutionibus convictus.

Ratio est secundò. Quando veritas objecti non est evidens, tunc potest intellectus à voluntate liberè applicari ad assensum: sed veritas minus probabilis objecti non est evidens: ergo poterit intellectus à voluntate liberè applicari ad assensum probabilioris, non obstantè oppositæ probabilis, maxime cum in partem probabiliozem major sit intellectus propensio; &

Confirmatur 1. Non obstant motiva evidentè probabiliora, quin voluntas subinde applicet intellectum ad iudicium temerarium ex levissimis motivis ferendum, quantum minus obstant minus probabilis, quin applicet intellectum ad assensum opinionis probabilioris?

Secundò. Voluntas [ut Adversariorum tuti instantiâ] non impeditur à minori bono, quin eligat majus bonum: ergo nec intellectus à vero minus probabilis, quin feratur in magis probabilem cum non minus connaturali propensione feratur in verum, quam voluntas in bonum.

Ad 1. nego minorem & majorem probationis, non enim formido cum dubio formali & proprie sumpto confundi debet: Qui dubitat, nihil determinatè judicat; qui formidat, judicat determinatè, ut tamen metuat de veritate oppositi: ut si dicas: *Credo, quòd Titius mittet pecuniam, quam promissit, esse rimeam, ne forte per oblivionem non sit missurus.*

Ad 2. distinguendo majorem: solvit argumenta contraria probabiliter, transeat; (hoc enim licet cum habet solummodo in opinante docto, qui motiva utriusque partis funditus examinat) certè, nego. Aliàs jam sententia non esset probabilior, sed certa, quòd est contra hypothelin.

Ad 3. Respondeo: Hac paritate non probatur intentum, quia non probatur, intellectum non posse simpliciter amplecti probabiliozem [ut contendebat Mercorius] sed tantum prudenter. Respondeo secundò, retorquendo paritatem: nam pone abesse periculum leonum, & viatorem quætere solum de via ducente ad terminum intentionis, certè poterit & quidem prudenter sequi consilium viri gravis, relicto consilio foemine; ergo & intellectus poterit & quidem prudenter sequi motiva opinionis probabilioris relicta motiva opinionis minus probabilis. Respondeo 3. ob paritatem esse, quòd ille itinerans non progrediendo à periculo se servat incolumem, quod

progrediendo verisimiliter incurreret. At intellectus suspendendo iudicium, omnem veritatem circa objecta opinabilia respuerit, quod est grave malum ipsius; cum enim in paucissimis habere possit evidenciam, est ipsi longè optabilius cum aliquo errandi periculo probabilem veritatem amplecti, & in suum connaturale bonum, meliori, quo potest, modo ferri, quam eodem totaliter destitui.

## § II.

*Statuitur possibilis eligendi æquè probabilem.*

**Q**uaritur secundò. An possit intellectus assentiri opinioni probabili in concursu æquè probabilis? Et videtur quòd non. Nam primò intellectus inter motiva æqualiter moventia est velut in balance æqualiter librata constitutus: unde in neutrá partem præponderare potest.

Secundò. Voluntas inter duo media æqualia pendens neutrum potest eligere, juxta communem Thomistarum cum S. D. r. 2. q. 13. a. 6. ad 3. ergo & intellectus inter motiva æqualiter probabilia constitutus, neutri potest assentiri.

Tertiò. Intellectus agnoscens æqualem probabilitatem inter utramque partem contradictionis, est inter utramque dubius: ergo de neutra potest opinari. Antecedens est D. Th. de verit. q. 13. a. 1. *Quandoque, ait, intellectus, non inclinatur magis ad unum, quam ad aliud, vel propter defectum moventium, vel propter apparentem æqualitatem eorum, que movent ad utramque partem; & ista est dubitans dispositio, qui fluctuat inter duas partes contradictionis.*

Quartò. Tunc intellectus non potest dare determinatum assensum, quando ex parte objecti non videt majorem rationem assentiendi, quam dissentendi: sed intellectus in nostra hypothesi ex neutra parte videt majorem rationem assentiendi, quam dissentendi: ergo neutri parti dat assensum. Minor probatur. Uti ratio dissentendi est falsitas, ita ratio assentiendi est veritas: sed in æquali probabilitate ex neutra parte apparet major veritas vel falsitas; imò utrinque quantum intellectus sperat de veritate, tantum metuit de falsitate: ergo ex neutra parte intellectus invenit majorem rationem assentiendi, quam dissentendi.

Quintò. Non esset ratio, cur intellectus non daret assensum utrique parti contradictionis; siquidem tanta est efficacia motivorum ex una parte, quam ex altera.

Sextò. Hoc ipsum variis exemplis comprobatur. Neque enim iudex in pari causa partium ferre potest sententiam pro una parte determinata. Neque si emptor sibi exhiberet duas æquales monetas, quarum unam scires certò falsam, alteram pro pretio rei venditæ eligeres. Neque alterutram ex duabus navibus, quarum utraque appareret æqualiter ruita, altera tamen certò naufragatura: neque unum è duobus poculis æqualibus, quorum alterutri inesset venenum &c. Applica hæc intellectui, qui inter duas partes contradictionis æqualiter probabiles medius, scit unam ipsarum subesse falsitatem, quæ est deceptio, malum, naufragium, venenum intellectus &c.

Contra tamen sunt pleraque, quibus priorem conclusionem firmavimus. Nam sententia æquè probabilis non minùs est digna assensu, quam probabilior, & cum non habeat motiva evidentiæ, non convincit intellectum, sed relinquit ipsum à voluntate determinabilem: ergo sicuti à voluntate potest intellectus applicari ad assensum probabilioris; ita & ad assensum æquè probabilis, & sicuti non possunt motiva opinionis minùs probabilis illam applicationem impedire, ita nec poterunt impedire motiva opinionis æquè probabilis &c.

Dicendum igitur est: Possit intellectum à voluntate applicatum assentiri uni opinioni probabili, relicta altera, quam censet æqualiter probabilem; quamvis hoc rarò videatur contingere; ut adeò omnimoda æqualitas inter motiva ex utraque parte ponderantia reperitur, quin vel ab extrinseca autoritate, vel à ratione partim directâ, partim reflexa pars altera præponderet. Et ratio est: tunc potest intellectus assentiri in actu secundo uni ex duabus opinionibus, quarum utraque representatur æqualiter probabilis in actu primo, quando potest à voluntate liberè ad alteram determinari: sed potest: ergo. Major patet: nam in defectu evidentiæ objecti voluntas suo impulsu intellectum determinat. Minor probatur. Quoties voluntas invenit motivum potius inclinandi in unam quam alteram partem, toties potest illam eligere, subditasque potentias ad illam determinare: sed in æquali probabilitate duarum opinionum voluntas invenit motivum, ut magis uni, quam alteri adhaereat, & ad ejus assensum intellectum determinet: ergo. Minor probatur. Quando voluntas eligit unam ex duabus opinionibus sub æquali probabilitate representatis in actu primo, ad æquata ratio eligendi non est semper probabilitas, sed v. g. emolumentum aliquod temporale rei domesticæ, quatenus concessum: sed tunc voluntas præter probabilitatem invenit aliud motivum trahens ad electionem: ergo. Res patebit exemplò. Deliberas, an licitè emas censum? & ex una parte probabiliter licitus, ex altera sub æquali probabilitate apparet contractus illicitus: simul verò representatur rei domesticæ emolumentum, si emas; dispendium, si emptionem negligas. Ex utraque parte adest sufficiens probabilitas, ut prudenter eligas; ex altera etiam motivum utilitatis domesticæ, quo fit, ut voluntas magis inclinet in iudicium, quo iste contractus affirmatur licitus, quam quo illicitus.

Et sanè si voluntas non obstante majori probabilitate, credibilitate, imò morali certitudine partis oppositæ frequenter impellit, & determinat intellectum ad assensum temerarium, hæreticum: cur non poterit determinate intellectum ad assensum opinionis probabilis, non obstante æquè probabili oppositâ? Ais: Imprudenter determinaret. Contra. Quæritur in presenti, an simpliciter & physicè possit? hoc enim, aut parum, aut nihil probant argumenta Adversariorum. An licitè & prudenter? videbimus §. seq.

Ad fundamenta opposita & ad 1. Respondeo, 2. bilancem tamdiu mansuram in æquilibrio, quamdiu ex parte altera nullum novum pondus, vel

T 2 impul-

impulsus accedit. Atqui in æquali probabilitate accedit ex altera parte impulsus voluntatis, ut dictum. Hinc etiam patet ad 2. nam adæquatum motivum voluntatis est bonum representatum: unde nisi appareat major bonitas in una parte, quam in altera, non est, cur in unam potius, quam in alteram inclinet: atqui motiva probabilia, hoc ipso, quod non sint evidentia, non sunt tota ratio trahendi intellectum, sed relinquunt determinationem libero imperio, & impulsui voluntatis.

Unde ad tertium. Intellectus est dubius inter utramque partem æqualiter probabilem, antecedenter ad determinationem voluntatis, transeat: consequenter ad illam, nego. Et hoc sensu loquitur S. D.

Ad 4. nego minorem. Invenit enim voluntas ex una parte rationem & motivum, ex quo magis intellectum determinat ad assensum quam dissensum, vel e contra. Est quidem ratio assentiendi veritas, & dissentendi falsitas, ut conjuncta cum motivis voluntatem inclinantis, concedo; ut se juncta, nego. Ergo intellectus ex neutra parte invenit majorem rationem assentiendi, præcisè vi veritatis probabiliter representata, transeat; vi alterius motivi conjuncti, quo voluntas inclinatur ad imperandum assensum, nego consequentiam.

Ad 5. Nego sequelam; neque enim adæquata ratio extorquendi assensum sunt illa motiva probabilia, sed etiam impulsus voluntatis.

Ad 6. Respondeo. Illa exempla non probant impossibilem assensum opinionis æquè probabilis, ut patet, quod tamen hic controvertitur. Sed neque probant imprudentem assensum. Non exemplum de Judice, is enim ex justitia obligatur sententiam ferre juxta merita causæ, quæ si sint utrinque æqualia, poterit utrique parti satisfacere, vel rei divisione, vel partium compositione. Ast inter opiniones probabiles de honestate astus nullus compositioni, aut divisioni locus; nulla juris alicujus nedum justitiæ obligatio, ut neutri parti accedas; cum ex hoc maximum damnum, nempe dispendium plurimarum veritatum probabilem, sine quibus oportet ignorantem vivere, incurreres. Reliqua etiam exempla à Mercore concionatoriæ allata nil evincunt, cum erent in supposito consequentis; neque enim periculum qualecunque erroris aut falsitatis invincibilis [qualis est cum post diligentem investigationem certa veritas inveniri non potest] est illud vulnus, venenum, naufragium &c. quod dicitur, non probatur. Præstat aliquando falli inculpabiliter, ut plurimarum veritatum probabilem notitiâ, & necessariâ civilium commerciorum commoditate fruaris, quam timidum ac desidem intellectum à probabilem veritatum assensu suspensum tenere, & plurima ignorare, ne pauca ignores.

### §. III.

*Statuitur possibilitas eligendi opinionem minus probabilem.*

10. **Q**uæritur tertio: Fierine possit, ut intellectus opinioni minus probabili adhæreat illa religia, quæ sibi hic & nunc apparet probabilior?

e. g. an intellectus habens motivum vehementibus incitans ad credendum, quod sibi non sit licitum pingere die festo, quam quod sit licitum, possit inclinari ad assensum posterioris opinionis? Et rigidioris sententiæ Patroni [quibus in hac parte accedit] [parza a. 12. & sequentibus] consequenter ad superiora respondet negative.

Probant primò Argumentis contra assensum opinionis æquè probabilis n. 6. adductis, & in hac rem facillè accommodandis.

Secundò. Impossibile est, ut intellectus existimet illam sententiam esse veram, quæ sibi magis apparet falsa, & e converso, ut abiciat illud objectum, quod sibi magis apparet verum; sicut est impossibile, ut quis judicet esse nigrum, quod sibi magis apparet album, & e contra; sed opinio minus probabilis magis apparet falsa, & e contra magis probabilis magis apparet vera: ergo est impossibile, ut intellectus existimet sententiam minus probabilem in concursu probabilioris esse veram, utque proinde ipsi assensum præbeat.

Tertio. Qualibet potentia naturaliter tendit in suum objectum, quantum potest, & tantum abhorret à suo opposito; veluti patet in gravibus & levibus, quæ quantum possunt, tendunt in suum centrum: sed verum est objectum intellectus, ita ut in judicando connaturaliter querat dicere veritatem, & istud magis respiciat in magis, quam minus probabili opinionis: ergo intellectus connaturaliter ferri debet in magis probabilem opinionem. Confirmatur: Connaturalis inclinatio intellectus in verum facit, ut illa potius amplectatur, quæ magis, quam quæ minus conducunt ad affectionem hujus finis; sed assentiendo opinioni magis probabili, existimatis facilius consequi veritatem, quam assentiendo minus probabili: ergo.

Quartò. Voluntas non potest eligere minus bonum, relicto præstantiori: imò bonitas præstantior extinguit & supprimit bonitatem debiliorem: ergo pariter intellectus non potest adhæreere opinioni minus probabili in concursu probabilioris; imò illa probabilitas per assurgentiam majoris probabilitatis abforbetur & oblieturatur.

Contra tamen est, quod motiva opinionis probabilioris non elidunt efficaciam motivorum opinionis minus probabilis, neque sunt evidentia & convincentia, adeoque adhuc intellectus subest libera applicationi voluntatis non tantum quoad exercitium, ut possit suspendere probabilioris assensum, sed etiam ut ad ejusdem impulsu possit elicere opinionis minus probabilis assensum. Ad stipulatur pariter experientia: multa enim opinio probabilis tanto excessu superat probabilem oppositam, quanto excessu fides Catholica superat quamcunque hæresin, & fidem oppositam: sed stantibus motivis potioris probabilitatis pro assensu fidei Catholica, etiam relatis ad motiva faventia hæresi, quæ cognoscuntur esse longe minoris momenti, quam illa pro assensu fidei Catholica, adhuc potest voluntas intellectus imperare assensum hæreticum: ergo multò magis stantibus motivis majoris probabilitatis, potest voluntas imperare intellectui assensum sententiæ minus probabilis.

Adde quod hæc quæstio & controversia tam declamata: *An homo peccet sequendo minus probabilem in concursu probabilioris?* esset de subiecto non supponente; siquidem homo non posset ex mente adversariorum mentem detorquere ad assensum minus probabilis cognitæ ut talis, sicque cessaret omne litigium.

Nec difficilis est responso ad objecta: nam argumentis ex n. 6. applicabilibus satisfactum est n. 9. Ad 2. distinguo majorem. Impossibile est, ut intellectus iudicet sententiam esse absolutè veram [ut loquitur Jo. à S. Th.] quæ sibi magis apparet falsa, concedo; ut iudicet esse veram apparenter, & probativè, nego. Ut enim bene advertit prædictus Jo. à S. Th. disp. 12. a. 3. n. 46. & Gabriel Bearus q. 5. n. 19. assensus probabilis non iudicat suum objectum esse verum absolutè & in esse, sed cum restrictione, & in apparere; scilicet quantum est ex vi motivi, quod habet ad talem assensum. Cum igitur motiva opinionis probabilioris non impediunt, quò minus motiva sententiæ verè, sed minus probabilis faciant illam apparere veram, nil obstat, quin illa ex vi talium motivorum vera iudicari possit. Instantia de nigro & albo non est ad rem, quia, quod magis apparet album, non habet incertitudinem de albedine, sicuti quò magis apparet verum, habet incertitudinem de veritate: tam enim falsitas potest subesse magis, quàm minus probabili opinioni: neque dantur motiva suadentia aliquid esse nigrum, quod magis apparet album, dum contra dantur motiva suadentia esse verum, quod oppositè motiva magis representatur falsum.

Ad 3. distinguo majorem. Quælibet potentia naturaliter tendit in suum objectum, quantum potest, potentiâ vel absolutâ, vel morali & proportionatâ subiecto, concedo; potentiâ simpliciter & absolutâ, nego. Alias argumentum probaret, quòd intellectus deberet omni possibili in-

tensione ferri in suum verum, sicuti Lapis fertur in centrum, ad quod naturaliter est determinatus. Cum ergo modus connaturalis, & humanæ naturæ accommodatus sit, ut in defectu evidentie per liberam voluntatis applicationem secedatur verum, quod prudenter apparet tale, satisfaciet connaturali inclinationi, si secedatur verum probabile, tametsi minus tale. Ad confirmationem distinguo majorem; si media sunt certa ad consecutionem veritatis, & intellectus à sola objecti veritate trahatur, transeat; si sunt incerta, ut in probabilibus, & insuper accedat impulsus voluntatis, nego.

Ad quartum nego in primis paritatem. Nam ideo voluntas non potest eligere minus bonum in concursu majoris, quia minus bonum, quatenus dicit privationem majoris boni, est aliquid malum voluntatis: sed verum minus probabile nullam dicit privationem veritatis majoris & probabilioris: tum quòd veritas consistat in indivisibili, nec recipiat magis & minus ut bonum: tum quòd utrumque verum seu magis seu minus probabile adjunctam habeat formidinem falsitatis. Deinde retorqueo paritatem. Cum plura sunt media inæqualiter conducentia ad eundem finem, potest voluntas eligere medium minus utile, dummodò per illud speret consequi suum finem, & aliunde accedat illi medio aliqua bonitas, quâ voluntatem alliciat, ut si præ calibe, & religioſa vita statum sæcularem utilem quidem, sed minus certum ad consecutionem salutis eligas, isque videatur tuo genio & inclinationi magis accommodus: ergo pariter intellectus poterit assentiri opinioni licet minus probabili, dum ex alterius motivi instinctu accedit voluntatis impulsus. Manet ergo, nullum esse physicum defectum libertatis, ut intellectus opinioni probabili, in concursu minus, æquè, vel magis probabilis nequeat assentiri.

## ARTICULUS V.

### *An liceat sequi opinionem minus tutam, minusque probabilem in concursu probabilioris?*

#### SUMMARIUM.

1. Quid intelligatur per opinionem minus tutam?
2. Distinguendum inter opiniones probabiles circa honestatem actionis, & circa res ipsas vel factum.
3. Cui agitur de valore rei, vel damno reali, sequenda est pars tutior.
4. Licet sequi sententiam probabilem minus tutam.
5. Exemplo & auctoritate Doctoris Angelici.
6. Etiam praxi Summorum Pontificum.
7. Patrum, Tribunalium, & Scholarum.
8. Licet sequi minus probabilem & minus tutam etiam in concursu probabilioris.
9. Major probabilitas non tollit opposita sententia probabilitatem.
10. Inefficax adversariorum paritas inter bonum & verum.
11. Praxi Summorum Pontificum pro sententia minus probabili.
12. Responsi adversariorum occurrunt.
13. Opposita sententia inutilitas ad praxim.
14. Ipsi adversarii suâ praxi probant nostram sententiam.
15. Probatur ab absurdis, quæ sequuntur ex contraria sententia.
16. Probatur rationibus reflexis & indirectis.
17. Inferitur licitus usus opinionis æque probabilis.
18. Aliquo sensu omnis sententia probabilis est æqualiter tuta.
19. In praxi ferè semper sequimur probabilem, quatenus sequimur probabilem.
20. Opinio Terills refellitur.

#### §. I.

#### *Resolutio negativa in dubio facti & valoris.*

Notandum primò. In hac quæstione illam opinionem, quæ inter contrarias Doctorum opiniones, an aliquid sit licitum, nec ne? negat esse licitum, & stat pro legis obligatione, communiter appellari tutiorem, eò quòd tali opinioni ad-